



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis. Consilium CCL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

Quia igitur ex omnibus allegationibus Opponentium aut ex conclusionibus seu collationibus quas Domini de Capitulo citra datam impetratæ unionis fecerunt, nusquam constat ante prædictam revocationem Innocentij Dominos de Capitulo apprehendisse hujus hinc contentio-
 19 si beneficii possessionem, imò nec interea vacasse, proferantque tantum documentum de illius vacatione contingente anno 1508. nec doceant se illius possessionem jure unionis ante vel post specialiter apprehendisse & suæ mensuræ incorporasse: consequens est quod virtute revocationis per Innocentium alioque sequentes Pontifices factæ, Boerius d. decis. 346. sublata fuerit dicta unio, aut saltem minimè ad effectum & extremam perfectionem perducta; sic quod vacatione potissimum in Romana curia contingente, per Pontificem conferri poterit hoc beneficium, etiam sine expressa & individuali derogatione dictæ unionis.

Quam quidem impetrata pro parte Opponente unionis imperfectionem arguit & illud, quod hoc beneficium, ut verum & proprium separatum quæ, nullique alij annexum, jam sæpius sit collatum non tantum ex vacatione per mortem aut liberam resignationem, sed etiam per permutationem contingente: quæ collatio, ut dixi, unioni repugnat & ad perfectionem consummationem quæ perductam non fuisse arguit. * Ut è diverso ex possessione longiore, quâ unitum beneficium cum principali semper possessum & obtentum ac retentum fuit ab uno
 20 eodemque, nulla separatione interveniente, præsumitur unionis legitima constitutio, Aldrad. conf. 296. de iure domini. * Quam imperfectionem potissimum arguit permutatio per dictum Capitulum in hoc beneficio admissa: nam uniti beneficii etiam ante consummatum effectum unionis facta permutatio non valet, Rota decis. 168. alias 2. de reb. eccl. non alien. in antiq. Freder. de Senis d. conf. 200. nu. 2.

His omnibus hoc addimus, quod in beneficiis Ecclesiasticorum collationibus & provisionibus ultimus illorum status semper attendi debeat, ac hoc, ut percipiat, an beneficia sint libera collationis, an verò non, c. Cum de beneficio & ibi not. de præb. lib. 6. Bald. in l. Si mater. & ibi gloss. C. Ne de statu defuncti. Rolandus à Valle conf. 47. Visu. tribus nu. 39. vol. 1. ita ut si qui novissimè beneficium possedit, ex libera collatione illud obtinuit, libera conditionis in præteritum censeri debeat, & tanquam tale conferri iterum possit.

Atque ita cum liquidò constat D. Hieronymum ex libera resignatione, illiusque antecessores ex permutatione obtinuisse; nihil dubitandum, quin & S. D. N. Papa ea forma ac statu attentis, vacans hoc beneficium in Curia Romana conferre poterit. Cum etiam præterea sit quod sibi imputet Opponentes, quod Apostolica concessione neglecta, intra fines unionis non constituerint, & formam in concessione unionis præscriptam non obseveraverint, sed se sic indignos concessione ac privilegio unionis fecerint; atque se potius in priore possessione ve-

ra unionis (si quæ fuerint) turbaverint, imò expulerint, quàm quod in huiusmodi jure aliquam turbationem ab Impetrante passi sint. Possent plura adferri argumenta, quæ dissolutionem hujus unionis, aut potius inutilitatem ex illius imperfectione arguerent: veluti fructuum separata administratio, releviorum usus, aliorum consimilium beneficiorum resignationes ac per-
 23 mutationes. † atque item (quod evidentem habet rationem) de subiectione horum beneficiorum nominationibus Apostolicis studiorum causa. Universitati Lovanienfi concessis, probata per sententiam hujus Amplissimi Concilij in causa D. Jacobi Laurentij; quod nulla ratione permit- tendum esset, si hæc beneficia verè essent unita, c. cum in Eccles. c. Cui de non sacerdotali de præben. lib. 6.

Sed sunt hæc & pleraque alia per D. Advocatum feliciter tractata, neque longiore refractione indigent, cum in præmissis subvertendi tituli & juris, quo Opponentes ferocunt, satis evidentes ac potentes sint rationes, quæ vitio nullitatis ac injustitiæ planè insciunt tam possessionem, quàm titulum Opponentium coniunctim & divisim: nulla in contrarium militante ratione, quâ titulus & possessio Impetrantis simili morbo laborare dici possit. Ita ut Amplissimum Dominorum meliori iudicio semper salvo, existimemus sententiam in hac causa secundum conclusionem Impetrantis per omnia ferendam.

De Præbendis.

SUMMARIUM

Possessorium post resignationem alterius colligantium.

Colligatore, lite beneficii pendente moriente, aut matrimonium contrahente, an jus ejus transmittatur in colligantem vel ei adjudicanda sit possessio beneficii contentiosi.

1. 3. Colligante mortuo colligantis supersuissimum ius acquiritur.
2. Regula de utrogandis colligantibus.
4. Attentari non debet pendente tempore deliberandi ad appellandum.
5. Appellatio à sententia possessorij intra tempora non interposita, cui possessio adjudicata est, pacificus redditur, si petitorium non sit intentatum.
6. Appellandi tempus quando currat si procurator tempore lata sententia fuit præsens.
7. Restitutio in integrum non tollit ea quæ ante restitutionem legitime facta fuerunt.

CONSILIUM CCL.

L Is mota fuit coram Audientia patriæ & Comitatus Hannoniæ super manutentionia seu possessorio Cappellaniæ sanctæ Catharinæ in parochiali Ecclesia de Hourbes inter D. Joannem de Werchyn Adorem seu Impetrantem, & M. Petrum Cardon Reum Opponentem: in qua lite, post recredentiam seu fiduciariam possessionem dicto M. Petro Cardon adjudicatam, lite contestata & terminis probandi constitutis, dictus Dominus Joannes probatione suas non fecit, ideoque ipso ab illis per decretum secluso, obtento congedio (ut vocant) adjudicatum est dicto M. Petro plenum possessorium. A qua sententia seclusionis & adjudica-
 tionis

tionis pro parte dicti Domini Ioannis non est appellatum intra septem dies & noctes; qui terminus appellandi per leges Comitatus Hannoniæ constitutus est. Lapis termino hoc appellandi præfatus M. Petrus Cardon cerò sibi persuadens, quòd lis super possessorio finita & terminata, & sic in pacifica possessione constitutus esset, dictam Cappellariam via Canonica permutationis circiter uno mense post dictum terminum appellandi intra septem dies & noctes, resignavit & transiit in M. Carolum Pepin: quo sic in possessione dicti beneficii legitime constituto, post sex aut circiter septimanas præfatus M. Ioannes Werchyn, sub prætextu, quòd dicta sententia ad ejus notitiam non pervenisset, tertio die à prima notitia ab ista sententia appellavit ad curiam Montensem: circa quod tempus præfatus M. Petrus Cardon contraxit matrimonium, ob quòd dictus M. Ioannes Werchyn petit sibi adjudicari plenum possessorem, ex ea causa, quasi tam de jure quam ex stilo omnium curiarum uno ex colligantibus in possessorio beneficii Ecclesiastici lite pendente vel moriente, vel matrimonio contrahente, omne illius jus transferatur in colligantem; cui ob id sine ulteriore processu plenum possessorem adjudicari debeat. Contra quam dicti D. Ioannis petitionem præfatus M. Carolus Pepin se opponit; cuius oppositione non obstantè, per varias & diversas allegationes dictus Dominus Ioannes in integrum est restitutus & illi iterum concessus terminus unius mensis ad probandum; quòd tamen nec intra tres quidem menses fecit: quibus lapsis idem Magister Ioannes nihilominus petit sibi adjudicari plenum possessorem, propter contractum matrimonium præfati M. Petri Cardon.

Quæritur, an vitium litigiosi præfati M. Petro Cardon post obrentam sententiam ademerit facultatem resignandi dictam Cappellariam, an ex eadem resignatione dicto D. Ioanni aliquid juris sit acquisitum per contractum matrimonij præfati M. Petri, ex quo possit contendere ad adjudicationem pleni possessoris contra dictum M. Carolum.

Respondemus in primis nobis verosimile non esse, quòd proponitur de jure colligantis lite pendente morientis, an matrimonium contrahentis transmittendo in colligantem, vel ex ea transmissione colliganti adjudicandam esse possessionem beneficii contentiosi: nam ex juris communis dispositione id non est. Et si enim constitutum sit, in c. 1. & 2. *De lite pendente lib. 6. Clem. 1. §. si vero eodem tit.* quòd altero ex electis colligantibus mortuo ad electionem seu collationem beneficii tamquam ex capite morientis vacantis procedi non possit, nisi sententià contra superstitem collatorem latà; nullo tamen jure cautum invenitur, quòd ex morte colligantis aliquid accedat superstiti colligatori: et ne quidem ex regula Cancellariæ, quæ est *de colligantibus surrogandis*. Hæc enim ex morte, vel ex contractu matrimonij, vel ex ingressu Religionis, aut alio casu contingente vacatione in persona unius colligantis, non transfert eo ipso aliquid jus sive proprietatis sive possessionis in superstitem

colligantem; sed vult quòd intra mensem à die hujusmodi casus alij provideri non possit, & impetrationes interea factæ sint nullius momenti, ad eum finem, ut facilius superstes colligator defuncto suo colligatori surrogari & inde litium finis esse possit, *lud. Gomes ad reg. Cancell. de surrog. collig.* Vnde cum D. Ioannes Werchyn beneficio illius regulæ usus non sit, hoc est hæcenus surrogationem peculiariter non impetrevit, non est, quòd dicti possit ex persona præfati Petri Cardon aliquid juris acquisivisse aut prætereundum posse.

Nec scimus aliquam in contrarium extare præcedentem, præterquam quòd in Concilio Brabantia servari scimus, ut altero colligantium super possessorio beneficii lite pendente resignante, quasi illius possessione cum jure extincta, indubitatim vires obtineat possessio alterius colligantis; cui ob id in iudicio possessorio solet possessio adjudicari, c. *accepta & ibi D. D. De ressum. spoliat. Decret. theol. 492.* iuxta illud, quòd agentis possessio in beneficiis obstat exceptioni renuntiationis, *Andreas Barbat. cons. 47. Cardo huius un. 3. vol. 2.* Sed idem in alio vacationis modo seu casu obtinere aut praticari non videmus: inò scimus in multis causis ad possessorem iudicium admissos esse, qui in ius colligantis morientis aut aliter deficientis ex nova peculiari provisione successerunt, quasi pro suo interesse ad litem admitti debeant, d. c. 2. *De lite pend. lib. 6.*

Interim quòd ad propositum casum attinet, non in eo videtur nobis versari casus negotij, quasi ex eo, quòd beneficium in possessorio iudicio litigiosum alteri sine periculo transferendæ possessionis in adversarium, seu illi eam reliquendæ ex stilo Curiarum resignari non possit, præfatus D. Ioannes Werchyn meliore loco sit in hoc possessorio iudicio constitutus quàm præfatus M. Carolus Pepin; per hoc, quòd M. Petrus Cardon beneficium suum resignaverit, & præterea etiam matrimonium contraxerit intra illud tempus, quo præfatus D. Ioannes Werchyn ad beneficium appellationis adhuc pervenire potuit; * 4 quòdque ut interposita & pendente appellatione nihil attentare aut innovare licet, *toto tit. D. Nihil novari appellat. interposita, Celsus Hugo cons. 89. duplici capite nu. 2.* ita nec liceat pendente tempore deliberationis, hoc est quo appellatio interponi potest, etiamsi nondum interposita sit, l. *appellatione C. De appellat.* Nam ut id verissimum est, ita ad casum præsentem planè impertinens. 1. Neque enim hic agitur de resignatione facta intra illos septem consuetudinarios dies & noctes, qui ut ex jure communi decem dies, *Authen. Hodie C. eod. tit.* ad appellandum & appellationem interponendam concessi sunt, sed de ea quæ ex intervallo unius mensis & amplius postea facta est, tunc cum sententià possessoris transierat in rem judicatam, & M. Petrus esset quietus, pacificus, & indubitatus huius beneficii possessor. Transiit enim sententià in rem judicatam, si intra statutum tempus ab ea non est appellatum, l. *Si pecuniam C. de re iud.* ideoque post illud tempus non potuit dici istud beneficium vitiolito litigioso infectum neque respectu proprietatis (quo propriè efficitur litigiosum,

sum, Gloss. in V. Litigantibus in c. 1. *Ut lite pend. lib. 6.* Cassaderus decis. 4. *Ut lite pendente* quia nullum petitum iudicium aduersus dictum M. Petrum institutum aut inchoatum fuit; neque respectu possessionis, propter litem super illa institutam, per sententiam finitam, *Lud. Roma. cons. 499. nu. 5.* Ita ut in tam plena possessione constitutus idem M. Petrus potuerit, ut retinere, ita quoque dimittere & in alium transferre hoc suum beneficium.

6. Neque dicto D. Ioanni Werchyn patrocinari potest, quod tempus ad appellandum præscriptum tam ex statuto vel consuetudine, quam ex iure communi non à momento lata sententia sed ex die notitiæ incipiat currere, *l. ab eo & ibi Gloss. & Doct. C. Quomodo & quando iudex &c. & quod à die notitiæ intra triduum appellaverit.* Nam cum proponatur dictum D. Ioannem Werchyn habuisse procuratorem, tempore lata sententiæ præsentem, ratio aut consideratio scientiæ seu notitiæ vel ignorantie non habetur; sed currit tempus appellandi statim à momento pronuntiatæ sententiæ, nec auditur si postea appellare velit. satis enim est, quod procuratorem reliquerit, & is causæ adfuerit, cui imputare debet quod non tempellivè appellaverit, ut expresso iure cautum est, *l. 1. in fine D. Quando appellandum sit Doct. in d. l. Ab eo, And. Tyrannellus de retractu §. 35. Gloss. 4. nu. 1.* Quo casu si procurator solvendo non est, per restitutionem in integrum, non ipso iure, domino succurri potest, *Alexand. d. cons. 95. Visis processibus nu. 7. vol. 2.*

Neque rursus eidem D. Ioanni Werchyn professe potest ad iterum superinducendum vitium litigiosi, saltem quoad possessionem, quod obtinuerit restitutionem in integrum ad prosecutionem hanc appellationem. Nam præsupposita huiusmodi restitutionis iustitiæ, nihilominus in periculo vitij litigiosi fuisset hoc beneficium eo tempore, quo M. Petrus illud M. Carolo resignavit, quia certum est eo tempore litem nullam & tempora appellationis lapsa fuisse & sic M. Petro liberam potestatem resignandi, *arg. d. c. 2. Ut lite pendente lib. 6.* Neque vero ex eo, quod M. Carolus postea restitutus fuerit ad appellandum omnia, quæ per partem adversam medio tempore acta fuerunt, pro nullis sunt habenda aut rescindenda; nam quæ ante restitutionem integri iure permittente facta sunt, suo loco manent nec rescinduntur: satisque est si indemnitati illius qui restituitur succurratur, *l. Si ex causa indicati D. de minoribus. Ut in proposito satis succurritur M. Carolo, quod per decretum restitutionis ad prosecutionem appellationis & illius cognitionem iterum admittatur, etiam si simul id quod M. Petrus medio tempore licite fecit non rescindatur: quia ex restitutione non debet quis lucrum consequi, sed sufficit, quod damnum reparet seu evitet, l. 1. c. De reputat. quæ fiunt. &c. Proinde resignatio per M. Petrum post rem iudicatam ante petitam restitutionem facta, effectum suum fortiter perinde ac si nulla his fuisset; & ad defensionem in hoc possessionis iudicio admittendus erit M. Carolus in locum M. Petri legitime successus, *arg. e. fin. Ut lite pendente lib. 6.* cui nihil efficit contractus matrimonij, qui factus fuit eo tempore*

Conf. Wamcl. Tom. I.

quo M. Petrus per resignationem desiderat esse dominus seu possessor huius beneficii; potissimum si eiusdem M. Petri nulla redargui poterit fraus, dolus, aut collusio.

De Præbendis.

SUMMARIUM.

Possessorium ex indulto Nominationis facultatis Artium in Univeritate Lovanensi & resignatione ex causa permutationis.

1. Appellari posse à sententia recedere & à seu fiduciaria possessione.
2. Recredentia sola decerni non debet, ubi constat de pleno possessorio.
3. Iura defectu adversario restitui obiges in beneficiis.
4. 6. 8. Renunciatio beneficii inducitur & possessione amissionem.
5. Proiectio an standum potius quam formali instrumeto, dum contraria continentur.
7. Permutantes beneficia quomodo ad dimissa beneficia revertantur, si permutatio effectum non habeat.
9. Litigiosi vitium in beneficiis an faciat ibi super possessione illorum.
10. Beneficia colligantium, si alter eorum moriatur, an per tertium occupari possint.
11. Intrusus est qui post suam renuntiationem sine novo titulo possessionem abdicati beneficii occupat.

CONSILIUM CCLI

Bono iure est appellatum pro parte Domini Bartholomæi Petri, à sententia fiduciariæ possessionis seu Recredentia per D. Gubernatorem Insulensem lata, per quam prælato iure, quod in possessionis iudicio Helias des Planques originalis Actor, ad Canonatum & præbendam Collegiatæ Ecclesiæ sancti Petri Insulensis & illorum possessionem prætendit, idem Helias potius quam dicto Bartholomæo Opponentem dictam recredentiam adjudicavit. Idque duplici ex causa, tum quod Opponens in eo sit gravatus, quod cum causa sic instructa fuerit, ut etiam secundum Opponentem super pleno possessorio iudicari debuerit, super sola recredentia ius dictum sit: tum quod in calculo ferenda sententiæ super recredentia ius ipsius Domini Bartholomæi Opponentis longe clarius atque etiam potentius sit.

Nam quod ad prioris gravaminis articulum attinet, hoc manifestum est, quod et si super recredentia seu fiduciaria possessione lata sententia, non obstante appellatione, executioni mandati possit, quia tantum est momentaneæ possessionis, *l. 1. c. Si de moment. poss. appel. fuer.* appellatio tamen ad effectum devolutionis causæ ad superiorem & ad facultatem sententiæ illius, si iustitia appellationis hoc postulat, retractandæ, iure & ex consuetudine ac praxi forensi permittitur, *Rebuff. ad consil. reg. tit. de sent. execut. in præfat. num. 28. & art. 1. glos. 14. & in tract. de mater. poss. art. 13. gl. 1. nu. 25.* Appellandi autem à sententia recredentiæ iusta

SI

causa